

DE
NOACHO ARCAM INGREDIENTE,
CONJECTURA HISTORICO-PHILOLOGICA,

QUAM

Conf. Ampl. Fac. Philos. Reg. Acad. Aboëns.

PRÆSIDE

Mag. JOHANNE BONSDORFF,
REG. ACAD. BIBLIOTHECARIO,

PRO GRADU PHILOSOPHICO

PUBLICO EXAMINI OFFERT

CAROLUS AX. FURINGIUS,
Ostrogothia-Svecus.

In Ædibus Scholæ Cathedralis d. XV. Jun. MDCCCV.
H. a. m. f.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

MAGNÆ
IN
SACRAM REGIAM MAJESTATEM
FIDEI
VIRO,
ECCLESIAE SVIOTHICÆ ARCHIEPISCOPO,
ACADEMIÆ UPSALIENSIS PRO-CANCELLARIO,
REGII ORDINIS DE STELLA POLARI
COMMENDATORI,
REG. ACAD. LITT. HUMAN. HISTOR. ET ANTIQUIT.
MEMBRO,
REVERENDISSIMO DOMINO S. S. THEOLOGIÆ
DOCTORI
JACOB O AX LINDBLOM,
MÆCENATI MAXIMO,

SACRUM

voluit, debuit
CAROL. AX. JURINGIUS.



*Plus apud nos valet vera ratio,
quam vulgi opinio.*

CICERO.

§. I.

Oracula Veteris Testamenti, quoad stilum, satis expressa canæ antiquitatis continere vestigia, rudemque & infantilem antiqui orbis ubique fere redolere cogitandi atque dicendi rationem, neminem, nisi in Sacris Litteris plane hospitem, fugere potest. Scripta vero Mosaica sine præjudicatis opinionibus, ut fas est, evolventes, linguæ atque rationis puerilis exstantiora adhuc deprehendimus specimina. Ut enim mittamus, Cosmogoniam Mosaicam, nonnisi philosophemata antiqui orbis de rerum ortu involvere, saeculique sui præferre asperitatem, ipsa Theologia Mosaica, sine omni dubio, vetustiorem & rudiorem de Deo & rebus Divinis philosophandi spirat methodum. Quod quidem mirum non videbitur cuiquam, qui ad Sæculi attendere voluerit genium, simulque, ideam Summi Numinis, quam jam in abstracto nobis concipimus priorem, fetum esse ingenii, saniori

A

phi-

philosophia subacti, notionesque nostras de Deo nihil tamen minus esse analogicas, perpenderit. Neminem igitur offendet, in Libris Mosaicis Iehovam saepius, non tantum humano more sentientem & agentem sibi, experimenta v. gr. instituere, iisdemque ad votum succulis delectari (*Gen. I: 4. 10. 12. 18.*), operibus suis quasi defatigatum requieferere (*Gen. II: 2. 3.*), operum suorum poenitere (*Gen. VI. 6. 7.*) e. s. p.; verum etiam articulata voce loquentem & imperantem introduci; nam inde nihil aliud consequitur, quam eanam antiquitatem, Deum κατ' αὐθεωπον fibi repræsentasse, atque Sacrorum Bibliorum Interpreti, ad asperiores ejusmodi συγκαταβασας, sedulo, nisi maxime venerandam Religionem, hostium expondere velit ludibrio, esse respiciendum. Cujus vero cogitandi atque dicendi rationis vestigia cum in narratione Mosaica de diluvio, multum a doctissimis viris vexata &, ut nobis quidem videtur, radicitus minime excussa, indagare liceat; Specimen quoddam Academicum edituri, operæ pretium duximus, quæ de diluvio Noachico conjecterimus, aliorum subjicere examini: benignam tamen, non ex more tantum, sed animo, Lectoris censuram conjecturæ nostræ expertentes.

§. II.

Dudum observarunt Interpretes, Historiam Diluvii Noachici (*Gen. VI—IX*), juxta vulgarem inter-

terpretationem, multis adeo obsitam esse difficultatibus, ut, qui pertinaciter eidem adhærere voluerit, nullam fere sese inde expediendi indagare poterit artem, parumque abesse, quin, nimis presso litterali sensu, mole sua quasi ruat tota illa in Libro Geneeos pericopa. Cum enim ex vulgari interpretamento perhibeatur: nequitiam hominum, tempore Noachi, eo usque pervenisse, ut Jehovah eosdem creasse poeniteret, Jovamque hac causa provocatum, non tantum generi nostro, verum etjam cunctis terrae animalibus aquarum inundatione delendis, animalium suum adjecisse, solum vero Noachum, quod omnium illius ætatis maxime esset pius Deumque sincere colens, hac de re divinitus certiore factum, in arca, vel ut Recentiores interpretantur, navigio, ad mandatum & ex instructione Jehovah ædificato, cum familia sua & animalium cuiusvis generis paribus, ex voluntate Divina navigio, ut genera eorum in terra conservarentur, exceptis, immisso diluvio, communi mortalium fato fuisse exemptum; atque sic quidem, ceteris quæ spiritum vitalem ducunt animalibus vi aquarum, altissimos montes ad quindecim cubitos superantium, extinctis, Noachum novi quasi generis Parentem extitisse; haec omnia, & quæ sunt cetera narrationis Mosaice momenta, ejus sunt generis, ut quemque cui sanum est sinciput, in dubitationem adducant. Præterquam enim quod fabulam, Sapientissimo Creatore plane indignam & consilio suo *humanum genus extinguendi* adversantem,

sapere videatur, Jehovam, humanæ pravitatis causa vindictæ cupidine ductum, animalia & animalecula ubique terrarum, licet plurimis in regionibus incolarum, ut certo credimus, adhuc vacuus esset orbis, diluvione sustulisse: tantam aquarum multitudinem, quæ altissimis per totum terrarum orbem montibus submergendis suppeteret, repugnante natura, suis legibus ejam quoad aquarum productionem adstricta, ne animo quidem, sine nova creatione (cui tamen admittendæ Historia Mosaica, nullam, ne verbo quidem, præbere videtur ansam), concipere licet. Noachum vero, e diversissimis & longissime a se invicem distantibus terræ zonis, omnium animalium paria, maxima minima, genera quævis conservandi gratia, arca vel navigio re vera excepisse, exceptaque aliuisse & foviisse, adeo inficera & inepta est opinio, ut nullo pacto, nisi perpetua miracula a) in auxilium adducere placeat, explicari posit aut defendi b).

§. III.

-
- a) Præter necessitatem vero miracula non esse augenda, neque Deum præternaturalia media adhibere, ubi naturalia suppetant, egregia est DATHII obseruatio ad versionem suam *1 Reg XVII. 4.*
 - b) Aut^ror Anonymus Libelli: ausführliche erklärung der sämmtlichen Wundergeschichten des A. Testaments aus natürlichen ursachen, Berlin 1800, I. Th. p 62, opinio ni allatæ, sequentes, hau^t facile solvendas, opponit quæstiones: "wie wars möglich, das Noah alle Thiere auf der ganzen Erde, alle paarweise aufstreiben und in sein

§. III.

His igitur & similibus ut sese expedirent saniores Interpretes objectionibus, missa vulgari de universalitate Diluvii opinione, nonnisi particularem, ultra fines Asiæ Meridionalis (Armeniam *a*) fortassis & subjacentes regiones) haud quidem extensam, inundationem intelligendam esse, Noamque animalia tan-

Schiff bringen konnte? wie kamen die eigenthümlichen Thiere des damals noch unbekannten Amerika zu Noah nach Asien? wie zähmte Er den Tiger, den Leopard &c.? wie brachte Er diese Raubthiere ohne Lebensgefahr in sein Schiff? wo nahm Er genug Futter für alle diese Thiere her, die zum theil täglich eine grosse menge Futters bedürfen? wie stiftete Er Ruhe und Frieden unter der so grossen und verschiedenen menge von Thieren, worunter einige beständige feinde von einander sind und einander aufreiben, so bald sie nur einander beikommen können? war auch wirklich das Noachische Schiff, nach der angebte, ungeheuer gross — so war es doch für die unzählige menge von Geschöpfen, und die ungeheure menge Futter, welche für sie auf so lange zeit, als die Fluth dauerte, erforderlich war, gewiss zu klein! — *cfr. JERUSALEM* Betracht, über die vornehmsten wahrheiten der Relig. P. II. Comment. III. Sect. I., ubi plures de diluvio Noachico, auctore non minus quam lectione dignissimæ, occurunt animadversiones.

- a)* Conspirant scilicet plerique Interpretes in eo, montes Ararat, ad quos navis sic dicta Noachi appulisse fertur, nonnisi in Armenia esse quærendos. *cfr. ROSENMÜLLER Schol.* ad Genef. VIII. 4.

tantum, quæ sibi suppeterent domestica, ne columbis quidem & corvo^{b)}), quorum mentio facta est Gen. Cap. VIII:o, exclusis, in arcam s. navem intulisse, jure meritoque postularunt. Licet namque obstat videatur huic conjecturæ: Auctorem narrationis de

b) Orientales, inde ab antiquissimis temporibus, *Columbarum* studuisse culturæ, de eo quidem nulli dubitamus. Haud enim obscure prodit Jesaias (C. LX. 8.), suo tempore, sic dicta Columbaria in Palaestina existisse. Hodie vero Columbas in Oriente magni esse habitas (imo apud Syros & Assyrios olim ut Deas cultas fuisse docet BOCCART *Hieroz.* Parte II:ori p. 5. 6.), innumeraque plufermis in locis existenda esse Columbaria, fidelissimi narrant Peregrinatores, *cfr.* CHARDIN *voyages en Perse* T. III. p. 39, ubi plus quam termille Columbaria circum Ispahan existisse afferit, NORDEN *Travels in Ægypt* p. 20. MAUNDRELL *Journey from Aleppo to Jerutalem* p. 3. — Ad *corvos* vero quod attinet, an domi unquam in Oriente fuerint pasti, tacente Historia Sacra & Profana, certo non constat. Ex iis tamen, quæ mox de pluviarum in Oriente molestiis dicenda sunt, improbabile non est, antiquissimos Nomadas, ne pluviis ex improviso obruerentur, corvis, ob virtutem pluvias & tempestates crocitatione praesagiendo (*cfr.* BOCCART l. c. *de corvo*), domi alendis fuisse detitos, eoque argumento (& quo alio?) corvum Noachi, cum ceteris animalibus domesticis, arca vel habitaculo Noachico fuisse exceptum. Testatur saltem CICERO (*de divin.* L. I. C. 41.) Arabes avium significationibus plurimum obtemperasse: Eosdemque, corvis aures dedisse faciles, auctor est PORPHYRIUS (*περὶ αποκ.* τ. αφυχ. L. III.)

de Diluvio c), *Capite VII. c. 19. 20.* expressis assertore verbis, aquas tantopere, ut non modo altissimos montes **כָּל הָרָה שְׁנִינָה** aquarent, verum etiam ad quindecim cubitos superarent, fuisse auctas: veterumque de extraordinariis quibusdam, quæ diversas terræ regiones olim vexarunt, inundationibus, testimonia, universale quoddam quasi respicere diluvium, eoque magis universalitatem diluvii Noachici probabilem reddere, quo certius sit, ipsam terram insinu suo, plurimis in locis, imo montibus altissimis & ab Oceano maxime remotis, ad hunc usque diem innamera aquarum aliquando supergressarum conservare vestigia; cœcus tamen esset rerum æstimator, qui his quidem, magis speciosis, quam veris argumentis seduētus, diluvium Noachicum in totum pretendere vellet orbem. Ut enim taceamus, particulam universalitatis **כָּל** sæpiissime in Libris Veteris Testamenti synecdochice f. hyperbolice occurrere, per se patet, Auctorem historiae diluvii Noachici, non-nisi montes, qui horizonte Noachi suberant, quosque non adeo altos fuisse probabile est

-
- c) Historiam Diluvii Noachici non minus, quam totum Geneeos Librum, e fragmentis diversorum Auctorum esse compositam, vix eget notatione. Qui vero bac de re dubitat, EICHHORNIUM (Eink. insA. T. §. 416 seq. & Repertorium für Morgenl. Litter. F. V.) GABLERUM (Urgeschichte) & ILGENIUM (Urkunden des Jerus. Tempelarchivs) audeat, moxque scrupulos, ut speramus, fibi exemptos videbit.

est, intellexisse aut intelligere potuisse, atque inde quidem non magis sequi, inundationem Noachicam fuisse universalem, quam *totum* ex. gr. cœlum nebulosum esse, propterea quod nostrates, ad horizontem nubilum significandum, ita loqui ament. Quod vero ad rumores de diversarum regionum inundationibus, terræque ipsius pro universalis quodam diluvio hodienum conspicienda documenta attinet, observandum est, alluviem v. gr. Deucalionis, cum diluvio Noachico, pluribus saeculis antegresso, minime esse confundendam, priscorumque historiæ barbaricæ Scriptorum, de cataclysmo quem probabiliter spectant Noachico, apud Josephum *d*), Eusebium *e*) & Cyrillum *f*) commemorata testimonia, nonnisi meridionalem Asiae partem laudata inundatione submersam efficere; marinos vero in continenti hue & illuc dispersos temporisque decursu petrefactos fetus, e diluvio Noachico nulla ratione posse derivari, sed potius, terram nostram ab Oceano quasi genitam esse, olimque (*principio* ut in Libro Geneseos audit) plures, Noachica & vetustiores & graviores inundationes revolutionesque passam fuisse, innuere *g*). In me-

d) *Antiquitt. L. I. Cap. III. coll. contra Apionem L. 9.*

e) *Præpar. Evang. L. IX. C. XII.*

f) *Adversus Julianum L. I.*

g) Inter recentiores Physicos, acerrimum argumentorum pro universalitate diluvii Noachici geologicorum vindicem se præbuit Dr. Luc (atque nuperrime quoque in Libro: *Prin-*

memoriam vero ex altera parte redeuntes, inundationem Noachicam, ipsa narratione Mosaica (Cap. VII. 12. VIII. 1-3.) praeunte, naturali modo, pluviosis scilicet continuis indeque originem ducente tumore Oceani h), ortam fuisse, virtutibusque naturæ,

B

ven-

cipes de Theologie, de Theodicée & de Morale): acriori certe animo, quam ingenio. Jure namque observat Author Recensionis laudati Libelli in Ephemer. Litter. Hall. N:o 321. superioris anni: "So gewifs es nach den geologischen beobachtungen vieler grossen Naturforscher ist, das unser ganzes jeziges trockenes Land mit allen Gebirgen ehedem Meeresgrund gewesen ist: so ungeologisch ist Herrn Lüc's behauptung, das der jezige ganze Zustand der Erdoberfläche, das alle die über einander liegenden strata so verschiedenartiger Materien und mischungen in so verschiedenen abgelonderten, theils horizontalen, theils wertikalen schichten, die bald versteinerungen von Seethieren, bald von Flussfischen, Pflanzen, Bäumen und von Landthieren, ja von mittäglichen in ganz nordischen Erdstrichen, und von solchen, deren originalen nicht mer existiren — das alles dies die wirkung einer Noachischen Fluth seyn sollte, da es vielmehr auf viele, auf ältere præcipitationen unter dem alten gemeinen Meere, und auf viele in verschiedenen Jahrhunderten und Jahrtausenden erfolgte überströmmungen und umstürzungen bald in diesem, bald in jenem Erdtheile hinweiset."

b) **תְּהוֹם רָבָה** (Gen. VII. II.) de mari Caspico, Armeniam aliante, explicandum esse, magna, ut nobis videtur, probabilitate asseritur. Nec obstat, Oceanum de lacu mediori difficulter posse intelligi. Vere namque observat

vento nimirum spirante & aquas dissipante, superatam: novum quasi robur accedere videtur conjecturæ de particularitate diluvii, atque illud quidem eo firmius, quod fide dignissima, orientales plagas spectantia Itineraria, gravem suspicandi præbeant an-
sam, nonnisi descriptionem hiemis orientalis, prisco-
rum memoria maxime pluviosæ *i)*, stilo orientalium
tumidiori amplificatam, in narratione Mosaica de
diluvio esse querendam. Cum enim Auctor nar-
rationis (C. VII. II. seq.) memoriæ prodat, sæpius
laudatam inundationem, quadraginta dierum *k)* con-
ti-

CYRILLUS (in Jesaiam L. II. T. I.): εθος τη θεος γραφη
και αυτας τας ληψας θαλασσας αποκαλειν: quod pluri-
mis confirmari potest exemplis. — *Magni autem Oceani*
nomen, Mari Hyrcano & Caspico attribuere, non magis
impium est, quam cum Pontus Euxinus Italica & Hilpa-
nis *mare audiat magnum.*

- i)* Pluvias & tempestates, hiemem Orientalium præcipue effi-
cere, oinnes, quantum scimus, tellantur Peregrinatores.
- k)* In numero quadragenario hærendum non est. Numerum
enim definitum, in primis quadragenarium illum, utpote
Judæis sacrum, in Codice V. T. pro indefinito sæpius
occurgere, sagaciores concedunt Interpretes. Atque
eundem quoque loquendi morem Persis familiarem esse,
auctor nobis est CHARDIN l. c. T. II. p. 124, ubi de
Templo quadraginta Columnarum ad Persepolin agens,
hanc subjungit animadversionem: 'Mais ayant mieux
connu le génie de la langue Persane, j'ai trouvé, que
parmi beaucoup de choses qui lui sont communes avec
l'Hebreu et avec l'Arabe, c'est que souvent elle se fert

tinuis pluviis, mense Novembris *l)* exortam fuisse,
centumque & quinquaginta dies, antequam desidere in-
ciperent aquæ, terram infestasse; Peregrinatores ve-
ro uno quasi ore confirment, pluvias, æstate licet in
*Oriente rarissimas *m)*, in eunte Autumno, mensibus
præcipue Novembris & Decembris *n)*, in regionibus
orientalibus, quæ meridiem spectant, quasque Diluvio Noachico inundatas ponimus, hodie quoque
vehementer adeo, ut omnem terram, pergente hie-
me, usque ad Aprilem (quod quidem temporis inter-*

B 2

val-

du nombre indefini pour un nombre fini et certain, lorsqu'il est considerable et extraordinaire." Testatur ta-
men HARMAR (Beobacht. über den Orient, mit Anmerk.
von FABER, T. I. p. 21.), asperiorem hiemem, in confi-
nio Urbis Aleppo, juxta testimonium fidelissimi Peregrinato-
ris RUSSELL (Natural History of Aleppo), *quadra-
ginta circiter dies, e calculo indigenarum, vulgo conti-
nuare.*

l) In textu Hebræo legitur *Mense secundo, h. e. Novembri,*
ut pluribus demonstrat L. CAPELLUS Chronol. S.

m) Cfr. HARMAR l. c. T. I. p. 10., JACOBI DE VITRIACO
*Hist. Hierosol. (Gestis Dei per Francos Tom. I. inser-
ta) p. 1097.* SHAW voyages dans plusieurs provinces
de la Barbarie et du Levant T. II p. 57. DAPPER Be-
schreib. von Asia artic. Babylonien p. 141. CHARDIN
l. c. T. III. p. 8.

n) Mensis November Hebr. dicitur בָּנְבֵל (a Rad. בָּנֵל vel
copiose pluit, unde בָּנֵל diluvium), ratione denomi-

vallum, ut bene notandum, item centum & quinquaginta circiter dies o) efficit), haud raro inundent, grassari p): conjectura ne sic quidem insulsa nobis
es-

nationis e frequentioribus, quæ hoc mense in Oriente decidere solent pluviis, sine omni dubio defumta.

- o) In definiendo tempore pluviarum, *primæ* s. autumnalis (Hebr. יְזָרֶה Gr. πρώιμος) & *serotinæ* (Hebr. שְׁקֹדֵם Gr. σφιμός) parumper discrepant Peregrinatores: nec mirum. Ordinarie tamen *illas*, mense Novembris, *bas* vero in Aprili irrumpere, totumque illud inter utrasque pluvias intervallum, pro diverso locorum situ, quinque circiter Mensium (h. e. centum & quinquaginta dierum) confidere hienem (Hebr. חַרְפָּה Gr. χειρανῶν), in eo fortassis neminem habebimus repugnantem, cfr. SHAW l. c. it. CHARDIN l. c. T. III. p. 9.
- p) Testes hujus rei prodeant: FULCHERIUS CARNOTENSIS, qui (ut e *Gestis Dei per Francos* T. I. p. 401. videre licet, copias Christianorum, expeditione Crucigerorum in Palæstinam facta, Anno Domini 1099, mense Novembris, imbrum per quinque vel quatuor dies continuatione, multum damni passas suisse testatur: JACOBUS DE VITRACO, qui l. c. p. 1098 his utitur verbis: "in bieme vero licet non adeo frequenter imbribus irrigetur (terra sancta), tribus tamen aut quatuor continuis diebus ac noctibus, postquam fieri incipiunt, pluviarum vebementes inundaciones, quasi particulari quodam diluvio terram totam inebriant & submergunt: WILLHELMUS TYRIUS, qui (G. D. p. Fr. T. I. p. 1010, 1011) memoriae prodit, reportata a Balduino IV, victoria Ascalonitica die XXV. Novembris Anni 1176 (?), per decem dies continuos,

esse videtur, descriptionem Diluvii Mosaicam, respe-
ctu ad hasce aëris in Oriente vicissitudines habito,
nonnisi de particulari explicandam esse diluvio.

§. VI.

At ne sic quidem omnes difficultates, quæ vul-
garis interpretationis sunt comites, judicamus subbla-
tas.

tantam vim imbrium, tantam algoris præter solitum vio-
lentiam incubuisse, ut vere credi posset, etjam ipsa con-
tra eos (copiae sc. Christianas) conjurasse elementa. —
DAPPER vero (Beschreib. von Persien p. 83.) de Persia
ita habet: "Zu Winterszeit ist das ganze Land mit
Wasser, so sich vom stetigem Regen füllt, und fal-
zigt und weiss, auch bisweilen so tief ist, das es den
Pferden gar bis an die bäuche geht, ganz überschwem-
met. Nebenst dieser Beschwerlichkeit vom Wasser, wird
auch um diese Zeit der Boden so weich und tieff, das
man schwerlich und mit grosser mühe hindurch kom-
men kan, ja mit grosser Leibs und Lebensgefahr durch-
reisen muss; dann wann man nur ein wenig von der
Landstrasse, und gebahnten Weeg abweichen sollte, wür-
de man unfehlbar in tiefe Löcher fallen, und aus den-
selben sehr schwerlich wieder kommen können; und
dieses ist die Ursache, das nicht allein Menschen und
Pferde, sondern auch die Kamehle, wie gross sie auch
find, darinnen stecken bleiben und verderben müssen.
Zu mehrer Sicherheit der Reisenden nun, hat man von
einem Ort zum andern gewisse Gemerke von schwarzem
Stein gesetzt, und den Weeg, den man reisen muss,
gezeiget" Quocum idem facere videtur CHARDIN l. c.
T. I. p 389, 390. — Cfr. quoque MOCQUET Reisebe-
schreibung p. 303. CARLI Reisebeschreib. p. 166. HAR-
MAR l. c. T. III, p. 8.

tas. Quæritur enim, neque id quidem injuria, quomodo Noachus, Navem ædificare *potuerit* adeo ingentem, ut longitudine sua trecentos, latitudine quinquaginta, altitudine vero triginta cubitos completeretur; Noachus inquam, qui, vitæ nomadicæ s. Pastorali (hominum vulgari antiquissimis temporibus vitæ generi) de quo nemo dubitat addictus, inter pascua vagabundus, ne arte quidem naves constrendi haberet opus? Esto autem, Noachum, oraculo Divinitus monitum, monstro huicce horrendo, in continenti (?) exstruendo manus suas admovisse; atque esto quoque, mensuras in Mosaica navis descriptione commemoratas diminutionem pati (quod *Michælis* in Suppl. ad Lex. Hebr. sub voce מִזְבֵּחׁ ostendere annititur); omnem tamen humanam fidem excedit atque excedat, Noachum in arte naves ædificandi adeo fuisse versatum, ut, tempore quo ne Phœnicis quidem uti potuit doctribus, navigium, quale illud Ipsi adscriptum, quodque nostris temporibus minime esset dedecori, modo vela & Gubernaculum cet., quibus rebus navis sic dicta Noachi destituta fuisse videtur (?), placeret adjicere, construendi fuerit peritus. Si vero miraculo, (primo & ultimo credulæ plebis refugio), navem Noachi factam & effictam conjeceris: hoc erit nodum secare, non vero solvere a).

§. V.

a) Suspicatur Author Libri laudati: die Wundergeschichten des A. T. p. 65., Noachum ad montem Ararat cymba fuisse adveatum: nobis vero conjectura non placet.

§. V.

Contra vero, si pro area aut navigio, habitaculum monti adstruetum intellexeris, Noamque, irrumpe diluvio, se, cum familia & gregibus suis, illuc recepisse, salutemque sibi & suis hoc pacto vindicasse conjeceris, omnes omnino difficultates, pericopæ Mosaicæ de diluvio objectas, hac admissa, neque Historiæ neque textui Sacro repugnante, interpretatione videbis superatas. Ut enim ad historiam hominis antiquissimam recurramus, a vero minime videtur abhorrens, homines, temporibus antiquissimis, cum ex uno loco in alterum victus sibi & pecori quærendi gratia commigrantes, bestiarum more incertis vagarentur sedibus, nullo alio, quam quod terra sponte sua offerret, contra cœli inclemantium usos fuisse præsidio, postea vero, relictis speluncis & vita multis nominibus vituperanda troglodytica, tentoriis, quæ pro lubitu transmoveri possent, fabricandis, suum applicuisse animum a). Mox autem quum experientia, artium matre & magistra, edocti intelligerent, plurimis vitam vagam atque profugam laborare incommodis, sedes suas ad montes præcipue figere, turresque exstruere b), non uno decreverunt

a) *Zabalem* primum fuisse eorum, qui vitam egerunt Pastoritiam sub tentoriis, testatur Historia Mol. *Gen. IV. 20*; qua vero fide, disquirere non refert.

b) Ad has vero turres plura tandem ædificia exstructa fuisse, ea que ratione vicos & urbes enatas, eo magis probabile est,

runt consilio. Quamvis enim negari non possit, turres Orientalium, ea mente, ut nomadibus signo essent, ne per orbem dispergerentur, locumque habent Nomades, unde feras & prædones *c*), qui gregibus eorum haud raro insidiarentur, e longinquo detegere, Pastoresque dispersos, signo dato *d*), ad imminentis periculum junctis viribus propulsandum convocare possent, antiquitus fuisse exstructas, eamque ob causam locis editis s. montibus potissimum *e*) adaptatas; graves tamen adesse videntur rationes, quæ fidem faciant conjecturæ, turres istas, antiquissimis temporibus, invadente hieme, nomadibus & gregibus eorum, contra aëris injurias *f*) & aquarum in-

quod nomina **מִגְרָאַת** & **מִצְפָּה**, quæ proprie *turrem* designant, de urbibus in V. T. sepius adhibeantur.

c) Orientem antiquissimis temporibns, æque ac hodie, prædonum insidiis fuisse vexatum, auctoritate *Gen. VI. 4.* credere convenit. Jure namque observant Interpretes, vocem **הַנְּפָלִים** de *latronibus* (vulgo *Gigantibus*) esse explicandam. Cujus interpretationis rationes videsis apud ROSENmüLLERUM in *Schol.* ad locum Geneseos allatum, cfr. quoque JERUSALEM I. c.

d) De *custodibus* (**נוֹצְרוֹם**) atque *signis* (**נֶסֶת**) cfr. FABER archæol. der Hebr. I. Th. p. 196 seq. 232. seq.

e) Si vero colles non adessent, turres eo altiores, ut ex. gr. turris Babyl., quæ ex populari dicendi ratione *versus coelum tenderet*, exstruebantur.

f) Notissimum est, regiones Orientales, sub hieme, non tan-

inundationes, adhibitas fuisse receptaculo. Cum enim ex iis, quæ de aëris vicisitudinibus in Palæstina & adjacentibus regionibus §. 3. annotavimus, colligere fas est, veteres Nomadas, antiquissimis temporibus non minus quam hodie, siccidente hieme, degregibus suis tecto recipiendis fuisse sollicitos *g*): veri omnino videtur simillimum, turres, utpote antiquissima, quorum quidem in Historia Sacra vestigia latent, Nomadum ædificia *h*), armentis quoque claudendis destinatas inservisse. Atque hoc quidem eo probabilius est, quod extra omnem dubitationis aleam positum sit, Nomadas, re dubia & latronibus insequentibus, se suaque (armenta puta), in turres hasce s. speculas, semet defendendi & extrema quævis experiundi animo, velut in arcem (unde currente etiam tempore urbibus munimento videntur adhibitæ *i*), conjectisse *k*). Quo vero cum accedat, JOSEPHUM

C

tum aquarum pati intemperiem, verum etiam grandine & algoris vehementia nonnunquam vexari. cfr. HARMAR 1 c. T. I. p. 18. seq.

g) Hinc Jacobum quoque, pecori suo tuguria (נַכְל) ad Succotam exstruxisse Gen. XXXIII. 17. legimus. Imo Arabum Scenitas hodie in tentoriis suis, vulgo trium celularum, armenta collocare, testatur FABER I. c. p. 117.

h) Cfr. I Chron. XXVII. 25, ubi omnia habitacula fixa dividuntur, in *oppida*, *pagos*, & *turres*: it. II. Reg. XVII. 9. coll. XVIII. 8

i) Cfr. *Judic.* IX. 51 seqq., ex quo loco, quibus artibus se in turribus defenderint antiqui, judicare licet.

k) Orientales populos hodie quoque, rebus asperis & tenui

ρημ (Antiqq. L. I. C. IV.) certo perhibere, turrem, cuius Historia meminit Saera¹⁾), antiquissimam, Babelis nomine decantatam, celsiorem, quam ut aquis obrui posset (ἀψιλοτερον, οὐ τοῦδε αναβίναι δυνατόν) in amplissima planicie Sinear fuisse exstructam, hominesque, propter diluvii memoriam campestria metuentes, ægre e locis descendisse celsioribus; pri- scos autem urbium conditores, recte monente EU-STATHIO^{m)}, etjam Φοβω κατακλυσμα, urbium arces (ανροπολεις) in locis erexitse editis: magna certe probabilitatis specie sese commendare videtur opinio, navem s. arcam sic dictam Noachi, nonnisi de turre s. habitaculo turrigero, in tres contignationes, ut scilicet Noachum (cum familia), armenta, pabulique & alimentorum sufficientem capere posset copiam, distin- gto, montique adstructo, esse intelligendam. Notissimum namque est, Orientalium domicilia hodie quoque in plures, ad quatuor usque contignationes esse divisaⁿ⁾, infimasque illas ut plurimum, stabulorum supplere vices.

§. VI.

spe, praesidium sibi in turribus querere, satis superque testantur Peregrinatores. Cfr. LIGHTFOOT Hor. Hebr. & Talm. de *migdal Eder* (propri. *turre gregis*) Gen. XXXV. 21. p. 549.

¹⁾ Genes. XI. 4.

^{m)} Παρενθολαι εις την ὁμηρεια μιαδα Δ. Ed. POLITI T. III. p. 1090.

ⁿ⁾ Cfr. FABER I, c. p. 422.

§. VI.

Summa igitur Historiæ Noachi ex nostra sententia esse videtur: Noachum, plurium annorum a) dideisse experientia, terræ plagam (Armeniam puta), quam cum gregibus suis pervagaretur, adventante & pergente hieme, aquarum molestiis saepius esse expositam; atque hinc quidem, ne pluviis & imbribus, solito autumni tempore ingruentibus, ipse cum suis & pecore suo aliquando obrueretur, de ædificio (turri) monti adstruendo, quo, urgente periculo, cum suis & armento salutem petiturus refugeret, alimentisque & pabulo, quantum per tempus aëris injuriis obnoxium sufficeret, congerendis, cepisse consilium; eaque ratione Noachum, irrupto extraordinario illo, cuius memoriam Historia prodit Mosaica, diluvio, ex innumeris, qui saluti suæ æque non prospexit, aut etjam colles inferiores occupassent, nomadibus unicum, communi clade, cum suis & pecore fuisse

C 2

ere-

a) In textu Mosaico (*Gen. VII. 11.*) diluvium, anno Noachi sexcentesimo, invasisse legimus. Annos vero lunares potius, quam solares duodecim mensium, intelligendos esse, probabile est. Licet namque apud gentes antiquiores, teste PLINIO (*Hist. Nat. L. VII. C. 48.*), diversissimæ annos computandi invaluerint rationes; novissima tamen non est, quæ lunæ determinata fuit lenio. Priscos enim Ægyptios ad lunæ periodum suos composuisse annos, magna veterum, (*Plinii l. c., Varronis ap. Laetantium 11, 12, Eudoxi ap. Proclum L. 1. in Timaeum Platonis*) creditur auctoritate. Cfr. PERIZONII *origg. Ægypt.* p. 21 seqq.

ereptum. Cum vero priscis temporibus, quibus animæ natura atque indeoles obscurior erat, resque maxime naturales & phænomena, quoad causas & fundamenta, oculorum fugerent aciem, perquam esset solenne, hominumque infantili cogitandi rationi apprime conveniens, ea, quæ animo aut cogitatione, sive vigilantes sive somniantes volutarent, & agerent, ad Jehovam immediate ordinantem & disponentem referre, omniaque, sive adversa, sive benigniora fata, licet e causis naturalibus & consveto rerum ordine commode explicanda, iræ aut favori Jehovæ adscribere b); factum proinde est, ut Auctor pericopæ Mosaicæ de Diluvio, non modo Jehovam, nequitia hominum (frequentibus fortassis quæ in Nomadas exercebantur latrociniis) c) ad iram provocatum, immisisse diluvium d), verum etjam Noachum, quia solus communi fato ereptus (eodemque ex argumento apud Jehovam in peculiari gratia fuisse) credebatur, de imminente inundatione Divinitus admonitum, turrem s. receptaculum illud, quo se suosque retraxerat, Auctore Jehova & construxisse & in-

b) Exempla hujus cogitandi atque dicendi rationis, in V. T. pastim occurunt.

c) Narrationis Mosaicæ series huic favere videtur conjecturæ. cfr. Gen. VI. 4. seqq.

d) De diluvio e causis naturalibus derivando ne somniarunt quidem antiqui,

ingressum e) fuisse, Jovamque ipsum fores obstruxis-
se f), ne sic quidem male perhibeat.

§. VII.

Atque huic quidem conjecturæ, ipse facer tex-
tus, non modo non adversari, verum etjam favere
videtur. Ut enim taceamus, Veteribus Interpretibus,
in transferendo vocabulo תְּבַחַת, cuius vera interpre-
tatio utramque facit paginam, notionem latuisse na-
vigi a), ipsamque vocis, undecunque deducas, ori-
ginem b), satis superque testari, nonnisi de habitaculo
in-

-
- e) Imo, terra exsiccata, Noachum, evadente Jehovah, rece-
ptaculo suo egressum fuisse Genes. VIII. 15—18. perhi-
betur: quasi suopte ingenio egredi haud quidem intelle-
xisset! — At Auctori pericopæ, Jehovah ubique loquen-
tem & disponentem inducere placet: quod quidem a Sæ-
culi genio minime alienum.
- f) Verba textus Mosaici anxie premenda non esse, velex hac
(Genes. VII. 16) formula clarum est. Nihil namque
aliud innuere, quam Noachum cum suis, Divina Provi-
dencia, cui omnem debemus felicitatem, servatum fuisse,
recte observat JERUSALEM I. c.
- a) Antiquos Interpretes Hebraicum תְּבַחַת, aut retinuisse, aut
per *arcam*, excepto Samaritano, qui סְפִינָה (vocabulum
de ædificio, æque ac de navi, juxta Radicem סְפִינָה con-
tabulavit, texit, explicandum) habet, reddidisse, notis-
sum est.
- b) Observat CLERICUS (Comment. in Genes. VI. 14.), vocem
תְּבַחַת, sive ut plenius (in pluribus a Cel. KENNICOTT in
Biblia sua collatis Codicibus) scribitur תְּרַבַּחַת, radicem,
apud Chaldaeos & Arabes usitatam, innuere תְּנֵבַת (quod,

interpretandum esse vocabulum, aliæ etiam adesse videntur, ex ipsa descriptione Mosaica τε: תְּבַחַת pe- tendæ rationes, quæ, significationem navigii falso, vocabulo nostro esse attributam, sine dubio cogant. Perhibente namque Historia Mosaica (*Gen. VI. 16.*), *januam in latere h. e. in inferiori parte c)* τε: תְּבַחַת fuisse adaptatam, Noamque, remoto teſſo (*Gen. VIII. 13.*), terram comperuisse exſiccatam, ad fidem mini- me

collato Lingvarum Chaldaicæ & Hebraicæ genio, Hebræorum respondet נִשְׁׁוֹן, eoque pacto & cum Hebraica radix נִשְׁׁוֹן ex sua ſententia eandem, ac cognatum verbum נִשְׁׁבָּה, notionem (*habitandi* Ic.) involvat, תְּבַחַת commodissime, analogia linguae minime repugnante, exprimere *habitaculum*. At vero, quia facile nobis quidem perſuadere non possumus, Hebræorum נִשְׁׁוֹן *Pf. XXIII. 3. 6*, aut alibi in Scriptis Veteris Testamenti *habitandi* significatum jure tueri, conſequoram viri alias οὐρανωτὰς suo loco relinquentes, in partes CLODII, qui in *Lex. Hebr. selecto*, collato Arab. نَبِيٌّ vel نَبِيٌّ colligit, congregavit, nostrum תְּבַחַת de loco, in quem res colligantur h. e. *conditoris*, *repositorio*, explicat, tranſire eo minus dubitamus, quo certius fit, Clodianam interpretationem ad Versiones Antiquas proxime accedere, atque *arcem* οὐρανῶν ut LXX. habet, ultro, in loco nostro, licet de *ferali* illa *Exod. II. 3. 5.* ſpeciatim uſurpetur (cfr. LOWTH *de sacra poesi Hebr.* P. I. p. 198), ideam patere habitaculi.

c) *Januam in inferiori parte τε: תְּבַחַת* fuisse collocatam, per ſe patet: alias enim, quomodo animalia intromiſſa fuerint, nos quidem non intelligimus.

me est primum, **הַבָּה** illud, notionem admittere navi-
gii, sed multo magis probabile, fixum quoddam
intelligendum esse habitaculum. Quantum scilicet in
re dubia, conjectura assequi licet, veri videtur simil-
limum, antiquissimos in Oriente Nomadas, habita-
cula sua, animalium pellibus, facili negotio pro ar-
bitrio removendis, contexisse *d*), atque sic quidem
commode fieri potuisse, ut Noachus, liberius spiran-
di & circumspiciendi gratia, tabernaculi sui subtra-
xerit tectum *e*). Locus saltem *Exod. XXVI. 14.*
(*coll. XXXVI. 19.*) probat, sanctuarium, quo Israë-
litæ in itinere ex Ægypto ad terram Cananæam ute-
ban-

d) Arabes hodie stragulis e lana caprina contextis in apalia
sua tegere, idemque fere apud Gentiles Siberiæ usu ve-
nire, memorie prodit FABER I. c. p. 170.

e) Etjam **רְחֵצָה** *Gen. VI. 16*, de *tecto* (*coll. Arabum* **رَفْط**
dorsum), præeunte SCHULTENSIO (in *Clave Dialect.* p.
287. & *Specim. Observatt. ad Genes.* p. 179. seqq.),
plerique Recentiorum, ut conjecturæ de navigio accede-
ret robur, interpretantur. Sed contra fidem & auctoriti-
atem Veterum Interpretum, (*Symmachî*, qui *διαφάνεις*,
Aquilæ, qui *μεσημβρίον*, *Chaldaeï* & *Samaritani*, qui
נְחֹתָר, *Vulgatae*, qui *feneſtram*, *Alexandrini*, qui *επισυ-
ναγών* vertit), vulgarem de *feneſtra* (unius cubiti alta)
interpretationem, vix ac ne vix quidem deserendam esse
judicamus. Ipsius enim vocabuli **רְחֵצָה** in Arab. lingua
superstes radix **ر-خ-ص** *splenduit*, indeque derivatum
צְהִירִים *meridies*, manifesto prodit, grammaticæ inter-
pretationi minime repugnare laudatos Interpretates. No-
stræ vero hypothesi multo minus aduersantur.

bantur, tegumento instructum fuisse pelliceo, atque vocabulum **פְּכָחַ** commemorato Geneseos (VIII. 13.) loco, sine vi verbis illata, de tecto e pellibus confecto posse intelligi,

His itaque rationibus inducti, profiteri non veniam, vulgarem de nave Noachica opinionem, maxime videri suspectam atque impeditam *f)*, multoquo magis, Noachum, diluvii vitandi gratia, habitaculum monti adstructum descendisse, arridere conjecturam.

f) Ansam huic interpretationi suppeditasse videntur Gen. VII.

17. 18. *VIII. 4.* Sed nisi omnia nos fallant, aliam quoque, minime contortam, neque genio linguae repugnantem explicationem, quam quæ vulgi teritur manibus, verba admittunt Geneseos. Cum enim, recte monente GLASSIO (Philol. S. T. I. p. 202 Ed. DATHI), in Sacro Codice *sæpe fieri dicatur, quod fieri tentatur aut queritur*, haud incommodè locum priorem ita transferre potueris: *cum vero terræ inundatio per quadraginta dies continuaret, aquæ tantopere excreverunt, ut parum abesset, quin habitaculum super terram attollerent, periculoque per aquas, magis magisque accretas, subesset afferri &c.* Ad alterum vero locum (Gen. VIII. 4.) quod attinet, copulam **וְהַנִּזְמָן** *enßatmas* sumendum esse animadvertisimus, nihilque aliud, quam receptaculum Noachi, ad montes Armeniae exstructum fuisse, & ab aquis decimo septimo die Menlis septimi remissum, l. c. significari suspicamur. Sæviente namque alluvie, receptaculum illud ab undis concussum erat & verberatum; cessante vero, quasi requievit h. e. ab aquis remissum fuit & relictum.